

CÆSAR TREN TA

RECTOR GENERALIS.

Congregationis Matris Dei.

CUM Opus, cui titulus: Prolegomena & Dissertationes in omnes & singulos S. Scri- ptura Libros &c. Authore R. P. D. Augustino Calmet Ord. S. B. Latinis literis traditum à P. Joanne Dominico Mansi nostræ Congregationis duo ex nostris Theo- logis, quibus id commisimus, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, si ita &c.

Romæ è Nostro Collegio S. Mariæ in Porticu, die 10. Februarii 1728.

Quintinus Roncaglia Secret.

De Mandato &c.

Vidit CONSTANTINUS RONCAGLIA

Congregationis Matris Dei.

IMPRIMATUR.

OCTAVIUS ARCHIDIACONUS SARDI Vicarius Generalis.

JO: JACOBUS ORSUCCI Illustrissimi Magistratus super Ju- risd. Præpositus.

IN PENTATEUCHUM ATQUE IN GENESIM POTISSIMUM PROLEGOMENON.

PENTATEUCHI

Opus Moyfi auctori deputandum esse, post tot luculentas in idem argumentum scriptas lucubrations, frustra prorsus à nobis in præsentiarum demonstraretur. Post diurnam sanè ultra 3000. annorum possessionem, nemo in Moysem litigator admittitur, nisi juris sui non dubia tantum & ambigua, sed evidentia planè & perspicua documenta protulerit. Nec aliud quidem, quam apertæ veritatis vis contra vetustum adèd Moyfis jus, cui Christi, Apostolorum & Universæ Ecclesiæ consensus suffragatur, prævaleret.

Quæ autem à recentioribus incredulis promuntur argumenta, multo illa à perspicuitate longissimè absunt. Quædam, inquit illi, in Pentateucho occurrunt, quæ Moyfes scriptis mandare non potuit. Ultrò fatemur; iis enim, qui Operis recensendi sibi curam assumpserunt, nonnulla addere, expungere quædam visum est. Iisdem etiam Authoribus quædam in compendium redacta videntur; sicut & quædamque narrationum & orationum series intermittitur; quod quidem de industria potius factum, quam casu vel Amanuensum lapsu contigisse apparet. Historia Lamech alia videtur nostræ ætate, ac à Moyse scripta prodierit; prius enim narrasse Sacer Historicus creditur ea, quorum occasione verba illa Lamechi ad uxores prolata sunt: Dixitque Lamech uxoris suis Ada, & Sella: Audite vocem meam uxores Lamech: auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies. Gen. 4. 23.

Ita post Moysem adjecta videntur illa. (a): Chananeus autem tunc erat in terra. Quædam etiam in Exodo sunt loca, ubi aliqua in textu Hebræo desiderari suspicamur. Ita Moyfes (b) acephalâ oratione, uti quidem apparet, Pharaonem alloquitur; Samaritanus ibidem defectum Hebræi facillè supplet. In eodem Samaritano non modicæ additiones in cap. 20. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

leguntur, frustra in Hebræo requirenda; sicut & variæ etiam in sequentibus Libris, & in ipso Deuteronomio plures resultant. Ex hisce variantibus inter levia aliqua, quædam etiam majoris momenti exhibentur; adèd autem illa cum tota Textus serie plerumque colligantur, ut vix alienâ manu in Textum irrepsisse persuadeamur. Fragmentum Libri bellorum Domini (c), alterius planè à Moyse Authoris, quemadmodum & initium Deuteronomii, videtur. Occurrunt etiam in eodem Deuteronomio parerga quædam ab aliena manu, quantum assequimur, Operi adjecta, uti dum erebrè certus quorundam locorum situs (d) trans Jordanem designatur; quæ nonnisi Author eis anmem scribens animadvertisset. Quæ etiam de lecto Og referuntur, qui nempe etiam Scriptoris ætate adhuc in Ramatha monstrabatur; de urbibus Sair (e), quod illis nomen diu post Moysem inditum est, omnia sanè hæc recentiori manu obstetricem agente in Textum irrepsissent. Sed hæc planè additamenta rara sunt, & levioris momenti, ab iis, qui Opus Mosaycum recensuerunt, apposita; non eo consilio, ut incautis Lecturibus singula tanquam ab ipso Moyse scripta obtruderentur. Ita e.g. ad calcem Deuteronomii historia obitus Moyfi recitatur, quam sanè ipsum Moysem per se non adornasse satis constat (f). Porro si quis dolo aliquo malo Opus illud sub Moyfis nomine obtrudere voluisset; illene consilio suo incautus adeo providisset, ut ea, quæ post Moysem contigerunt, operi inferens, fraudem suam proderet? Qui tantum valuisset ingenio, ut Pentateuchum proderet, ille sanè error tam crasso impar fuisset. Quid, quodd integræ fidei vir, præter Moysem nemo, hæc atque ita scribere nunquam in animum induxisset? Quare suos exhibet genuini Operis characteres Pentateuchus, cum nec impostorem aliquem, nec virum integræ fidei alium à Moyse ferat authorem. Fraus nimium in aperto est, quam ut impostorem arguat: in viro autem integræ fidei fraudem suspicari non decet. Solus igitur Moyfes, Divino Spiritu afflatus, certus hujus Operis scriptor habendus est.

c Num. 21. 14.

d Deut. 1. 6. 3. 8. & 11. 30.

e Num. 32. 41. Deut. 3. 14.

f Josephus Antiq. l. 4. c. 8. & Philo de vit. Mosib. 3. autumarunt, ipsum per se Mosem obitus sui historiam prophetico spiritu dicasse; sed solis fermè ea sententia stetit.

A Eo

Et plantè tempore natus est in Ægypto Moyses, cum in universam Regionem collatis à Patriarchâ Josepho beneficiis & Regum Ægypti memoriâ deletis, Israelitas in immensum penè auctos, metu ne quid novi molirentur, arctissimæ servitutis, atque durissimæ tyrannidis iugo ipsi Reges oppræsserant. Latè enim edicto, Obstrictæ omnes Israelitarum mares mox à partu exceptos perimere iussæ sunt. Ut igitur Moyses à communi cæterorum infantium fato eximeretur, sedulâ parentum cautione aliquandiu celatus est; deinde vinea in cista conditus, & Nili fluente expositus, curâ Providentiæ relictus est. Ibi Filia Regis Ægypti casu puerum nacta, enutriendum sibi, atque omnibus Ægyptiorum literis instruendum curavit. Successu temporis, intimo Dei instinctu deductus Moyses, fratribus suis ab Ægyptiis oppressis suppetias ferre conatus est: sed suis beneficiis pessimè à populo repensit, coactus in Arabiam secedere, ibi cum filiâ Sacerdotis & Principis Madian conjugio copulatur. Per visum autem à Deo in monte Sina monitus, ad populum suum ab Ægyptiâ servitute ultra 80. annorum liberandum proficiscitur.

In Ægyptum igitur Divinâ pollens virtute se conferens, prodigiorum vi populorum suorum animis in se inclinatis, simul Pharaonis pervicacem animum fregit. Quare factum est, ut ab Ægypto Judæos educere, atque itineri obstantes maris undas prodigio diffidens, in averfam ripam pedestres deducere potuerit. Tum in desertum Sinai succedens, exceptas ibi à Deo Leges, deinde literis mandatas, ad nos usque transmissit. Quod autem à Terræ Promissionis aditu populus excluderetur, ejusque filii non nisi post 40. annos ab egressu ex Ægypto ed introducerentur, populi ejusdem obmurmurantis crimen in causa fuit. Toto eo quadraginta annorum spatio Moyses ab immorigero pervicacique populo multum & querelarum, & oblocutionum, & injuriarum sustinuit; quæ ipse vicissim & invictâ patientiâ, atque mirâ injuriis condonandis facilitate rependit. Vixit omnis hypocrisis & ambitionis expers: obiit nullis dignitatis insignibus familiaris relicto.

Summo vir erat ingenio, qui proinde rudi populo facilè pro suo arbitrio omnia imponere (præter ea, quæ ipsi præfentes aspexerant) potuisset; in iis maxime, quæ cum ipso tantum, remotis arbitris, Deus communicabat. Ne tamen nisi vera doceret, fecit insitæ probitatis atque genuini candoris virtus, cujus in omnibus gestis suis minimè fucata documenta monstravit. Si humani aliquid passus est, silentio planè rem non obvolvitur; quod etiam in referendis Fratris sui atque Sororis erroribus observat. Prodigia supra captum hominum simplici stylo, ac veluti tranquillo vultu describit, ut hominis habitum non planè imponens, neque grandia, decipiendis incautis, jactitantis exhibeat. Ipse de se, tanquam de alieno in sua narratione locutus videtur, vel si

aliquando se prodât, ideam tamen exhibet hominis, veluti latefcere volentis, atque de se tanquam de alieno loquentis; bonis scilicet, & malis æquè productis, absque eo quod eas caperet rationes, quas superbia, & hypocrisis amor suggerit, ut si quos habeat defectus, legentium obtutibus abscondat. Nihil turbidum, æqui vovum nihil ejus oratio præfert; procul ambages omnes, atque de industria appositæ parergæ narrationi digressiones, quibus subdoli scriptores aliquando Lectores suos longè à veritate abducunt, quò facilius falsa insinuant, atque mendacium, facile alioqui in simplici & aperta narratione prodendum, incautis supponere valeant. Porro Moyses rectè ad scopum contendit, ut si quid esset in ejus narratione falsum, atque repugnans, statim sentiretur.

Utro quidem fatemur, in ejus narratione plura extra suum locum & temporum seriem vagari; sed hæc potissimum sunt genuini Operis atque Scriptoris certum indicium; quippe qui omnium oculis explorata ac comperta narrans, non eam sedulitatem rebus dirigendis affert, quam Author vel non synchronus, vel aliud quam veritatem præ oculis habens.

Pentateuchi Author eo tempore Operi suo laborabat, quo Dei nominis cognitio, præter Judæos, cæteros ferme latebat; reliquæ enim per Orbem gentes, glomerantibus ignorantia eorum, quæ ad Deum & veram Religionem pertinent, tenebris obvolvèbantur. Ipsi etiam Judæi, quibus Moyses scribebat, homines erant rudes & indociles, prono in idololatriam ingenio ruentes. Accedebat diuturna in regione corruptissimâ, & idololatriæ dedita consuetudo, animi tenor, durissimis quibusque tolerantis, fractus; ac tandem longa servitute educati, serviles prorsus spiritus induerant. Durissimo quin etiam iugo oppressi, avitam ferè religionem ex animo & mente excusserant, ut in dominantem superstitutionem tandem; neque eorum genio neque moribus prorsus abhorrentem, descenderent. Hæc omnia præ oculis habuisse oportet, ut Moyses consilium in scribendo intelligatur; oportuit enim ut ad captum rudioris populi, ejusque præjudicia sese accomodaret, quicquid educationi illius deerat suppleret, & revocaret in memoriam tum factas Patribus suis promissiones; cum avitam pristinamque ingenuitatem; ac tandem aggerem se ruenti in vitia populo opponeret. Hæc plenè præ oculis habuisse Moyses debuerat, dum Pentateuchum scriberet; huc totum Opus collimat. In Genesi spiritum & cor populi ad Legem, mox tradendam, præparat; Legem enim veluti præfationem in eo libro insituit. Porro ea creationis historia narratur, quæ omnem penitus opinionem abolet æternitatis Mundi; atque Ægyptios, & Phœnicæ, cultum astris, elementis, atque vilioribus etiam exhibentes, ludibrio exponit. Patriarcharum res gestæ describuntur, selectæ familiæ Abrahami, veluti peculiaris & acceptæ Deo portionis historia deducitur. Totus est autem Scriptur sapientif-

tissimus, ut ideam ingerat unici Dei, Cœli Terreque Creatoris, ejusque amplitudinis, potentia, & justitiæ, quò Judæorum animos excipiendæ Legi cultum Divinum præscribenti compararet. Nec modica illi cura genealogiis deducendis, ac maxime Sethi ante diluvium, & Sem post diluvium; hunc enim patrem Judæi habuerant; hunc Salvator, Judæorum expectationem expleturus, generis autorem fuerat habiturus. Post relatum hominum dispersionem, occasione turris Babelicæ, in unam familiam Phaleg, & Heber historiam cogit; versoque ad Abrahamum patrem Hebræorum stylo, magnificas promissiones ipsi factas à Deo, de futuro Liberatore mittendo, prosequitur, in quem sanè Liberatorem suum Judæorum vota omnia, Legisque lata, ac tandem Religionis à Deo per Moysen ferendæ consilium, tanquam in unicum scopum & complementum collimabant. Quo sanè nihil erat confirmandis, atque in spem erigendis animis, dirigendis moribus aptius; nihilque potentius in fide Dei, & in obsequio Legis populum indocilem tenuisset.

Potissima Legislatoris cura in eo versatur, ut occasionem innovandarum, vel constituendarum Legum aperiat, uti Legis, Sabbati, & Circumcisionis. Originem morum, qui apud Israelitas obtinent, sedulo indicat, uti abstinendi à nervo femoris incubum adhibendo (g). Promissiones à Deo factas Abrahamo inculcat; quibus scilicet se familiam ipsius provecturum, & in Chanaanitidis possessionem immixturum fidem suam obligavit. Sacrificiorum atque caeremoniarum occasiones, historias ritusque omnes prosequitur; sicut vicissim Patrum eorum in Chaldæa idololatriam silentio præterit. Vetera Oracula longè recepta à Patribus traditione servata, singula totidem planè verbis refert; uti ex historiâ oraculorum Jacobi ad obitum decumbentis intelligimus. Quò verò se omnibus exploratissima retulisse demonstrat, ad vetera sæpe monumenta, vetera proverbia & cantica provocat.

Hic veterum inter se Gentium similitates, à sua deductæ origine, describuntur; hic legenda Noemi in Chanaan maledictio, quæ potior fuit ratio terram Israelitis tradendi. Moabitarum Ammonitarum & Philistæorum, populi Dei nunquam non hostium, crepundia; jura primoris natu Jacob asserta; cui ante & post ortum promissiones factæ, excluso Esau, narrantur.

Omnia hæc Eusebius, de Libris Moysis agens (h), latè confirmat. Admirabilis, ait, Theologus atque Legislator Judæorum religiosam populo sancire politiam, planeque sanctam volens, non vulgari atque consuetâ præfatione utendum sibi esse censuit; sed pro excelsâ, quam sibi præscriperat, omnibus numeris absolutæ Legis condendæ ideâ, quam in suum succum converteret doctrinam, ex ipsis veteris Theologiæ fontibus derivavit. Quare veluti Præfatione mox tradendæ Legis in Genesi præfuit, ab Authore & Creatore rerum omnium visibilium & invisibilium Opus illud

suum auspiciatur. Hunc autem veluti Legislatorem & Moderatorem, hunc Arbitrum Regemque universi vivis coloribus pingens, potentia & suavitate temperatâ sapientiâ, veluti amplissimæ Urbi, Mundo jura dare atque universum qua latis, qua in alto pectore insculptis Legibus regere describit.

Hebræorum Theologia in ipso sui vestibulo (i) potentissimam virtutem, vel Authorem rerum omnium exhibet; exhibet, inquam, non subtilibus atque artificiosis argumentis, sed dogmaticâ plane ratione, atque autoritate dedactam. Divinitus enim afflatus Legislator, Deum esse Cœli terræque verbo tantum prolato, atque unico voluntatis potentissimæ nutu conditorem pronunciat. Nec tamen illud tale tantumque Numen, id unquam committere Moyses animadvertit, ut Creaturas deserat, veluti amantissimus Pater, qui obitu suo orbatos filios, superstitute tamen providentiâ curat; ut ille quidem non Creatoris tantum & Artificis, sed deductoris etiam, moderatoris, Principis & Regis Universi rationem & munus gerat. Hæc non in Moysè tantum spectes, virum nempe Coryphæum & primum Theologiæ Hebrææ autorem; sed & in cæteris post ipsum omnibus, eodem Spiritu S. æstro afflatis, quin & in eximis ante illum viris veluti Abraham, Melchisedech & Patriarchis, quos grandia de Deo ejusque Providentiâ sensit ex lectione Genesios intelligimus.

Porro si quis paulò diligentius confideret, nihil ad Moysis consilium contulisse magis animadvertet, quam ut sub oculis populi, cui ipse jura dare Legesque constituerat, grandia illa Patriarcharum gesta exhiberet. Quid enim conducibilis ad providentiâ Creatoris adstruendam, quam Abrahami, Jacobi, & Josephi gesta? Quid potentiam Dei commendat magis, quam creationis historia? Dei ultio justissima in Diluvio, & everfione Sodomæ exeritur. Grandia verò grandioribus phrasibus exprimens, vividam rerum ideam excitat. Deus modò prolatis verbis colloquia miscens, modò rebus agendis intentus, ad flagella modò, nunc ad præmia manum extendens, vigili semper oculo puniendæ injustitiæ, atque præmio donandæ æquitati excubans exhibetur. Justitiam Legis Judaicæ, Veterum ante eandem Legem exemplis demonstrat; quippe qui maxima Legis præcepta ante rogatam Legem coluerant. Religionis vetustatem ita commendat, ut stultam simul novitatem cæterarum tacitus suggillet. Hoc planè consilium æquè per totum Opus regnans, atque felici planè calamo expressum, ipsissimum fuisse Moysen sub S. Spiritu ductu, & disciplinâ consilium ac scopum, nullus dubito.

Moysen cum cæteris Poetis, & Legislatoribus Gentilium conferens Origenes, ipsum præ Lino, Musæo, Orpheo, Pherecide, ac cæteris effert [k]. Quid enim, ait, scripta virorum, quorum adeo sapientiam demiramini, ad Moysen scripta comparata, historiæ ad historias, narrationes ad narrationes? Quantum illorum documenta præscri-

i Idem ibid. c. II.

k L. r. cont. Cels. pag. 15.

g Gen. 32. 32.

h Prop. l. 7. c. 9. Vide etiam cap. 7. & 8.